

Quid est tibi, mare, quod fugisti : et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum ?

Montes exultastis sicut arietes ? et colles sicut agni ovium ?

A facie Domini mota est terra : à facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum : et rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis : sed Nomini tuo da gloriam.

Super misericordiâ tuâ et veritate tuâ : nequando dicant gentes, Ubi est Deus eorum ?

Deus autem noster in cœlo : omnia quaecumque voluit fecit.

Sinulacra gentium argentum et aurum : opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur : oculos habent et non videbunt.

Aures habent et non audient : nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt : non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israël speravit in Domino : adjutor eorum, et protector eorum est.